

dummodo in pios usus. *Cetera. Balsam. Schol.* Constitutio 48. t. 3. lib. 1. Cod. non est posita in Basilicis. Constitutio 52. tit. 2. lib. 1. Cod. in Basilicis non est posita.

Ibid. Dicit porro Prima, eaque unica Constitutio, tituli 48. libri vi. Codicis, valere quod relinquitur licito, cuiusdam collegio, aut corpori, clericis collegis putata, aut curiæ, aut cohorti præfulis, aut medicis, aut doctoribus, aut advocatis, aut militibus, aut ejusdem artis opificibus, aut Sacerdotibus, aut cuiusdam alii: & dividi viritim ex æquo iis, qui tempore mortis in albo reperiantur. *Cetera. Balsam. Schol.* Constitutio 1. t. 48. l. 6. Cod. posita est in lib. 44. tit. 18. cap. 30. quod quære.

Ibid. Constit. 17. tit. 2. lib. 1. Cod. ait, quod dum extra sacra vasa aliæ res mobiles sunt, rerum necessariorum immobilium & sacrorum vasorum alienatio atque hypotheca cessat. Et constitut. 21. ejusdem tituli ait, quod, qui non per causam redimendorum captivorum, sacra vasa vel donaria emit, aut in hypothecam pignusque capit, etiam pretio excidat, eaque per Episcopos, oconomos, & vasorum custodes vindicantur, etiam si constata sint; aut illorum exigantur pretia, si non compareant. *Balsam. Schol.* Constit. 17. tit. 2. lib. 1. Cod. non est posita in Basil. neque 21.

Ibid. Lib. 1. Cod. t. 2. constit. 1. licet unicuique in suprema voluntate Sanctis Ecclesiis relinquere. Firmas enim morientium voluntates esse oportet. Constit. 13. Licet viduis, Diaconissis, virginibus Deo dicatis, Sanctimonialibus, & aliis religiosis feminis, ut vel iusto testamento, vel codicillo, vel voluntate non scripta, sive institutione, sive substitutione, sive legato, vel fideicommissio, seu speciali seu universali, aliquid relinquunt Ecclesiis, clericis, monachis, aut pauperibus. *Balsam. Schol.* Constit. 1. tit. 2. lib. 1. Cod. est cap. 1. tit. 1. l. 5. quod ita habet, ut in textu sub compendio est propositum. Constit. 13. ejusd. tit. & libri, in Basilicis non est posita.

Ibid. Constitutio 19. Quæ donationes citra actorum  
con-